



CAPVT QVARTVM.

De repositione, ac asseruatione
medicamentorum cum Simplicium rum Com-
positorum, & qualia cuiq, vel vasa, vel
instrumenta sint ad-
hibenda.

L Ecce sic ritè Simplicia, & quæ ex ijs sub
varijs formis parata sunt Composita, de-
bito modo reponi ac custodiri omninò postu-
lant, ne vel situm contrahant, vel rancescant,
putrescant, teredine consumantur, accescant,
aut aliter corrumpantur. Solent autem her-
bæ, radices, ac flores, præsertim odoratiores, in
mundis arculis maxime verò tiliaceis commo-
de asseruari loco sicco ac perflato, licet radices
nonnullæ crassiores traiecto filo libro aeri su-
spensæ exponantur. Semina charta inuoluta
in vitreatis vasculis vel pyxidibus ligneis re-
tè seruantur. Succī, liquores, & aquæ stillati-
tiæ in vitris aut vitreatis vasis depurantur ac
detinentur, sunt autem succi prius defacan-
di & vitris angustī orificij indendi superfuso
oleo

oleo Amygdalino, aut Oleo Olinarum purissimo, ne aër subintrans succos corrumpat, eodem namq; modo nec alio vinum Ribes, Cydoniorū, Granatorum, Berberorumq; asservari ac in annum custodiri vel potest, vel debet. Syrupi vero ex succis vel liquoribus iam dictis percocti, aut aliter quoq; parati, non rectius quam in testaceis ac figulinis vasis vitreatis perennant, praesertim verò qui per se acidi sunt, vel alioquin acetum recipiunt, cuiusmodi sunt Syrup. Acetos. Citri de Limonibus, Granatis, Pomis, Arantijs, Cerasis, Agresta, Cydonijs, Berberis, succo Acetosae Liniula, itemq; Oxysacchara & Oxymella, nec non Syr. Acetosus Simplex & Compositus, Acetosus Diarhodon Bizantinus compositus ac consimiles, quos omnino in vasis figulinis vitreatis aut lapideis (ut Mesue vult) coqui, despumari, ac reponi debere praecipimus, cum alioquin aeruginem statim sapiant, ac coloris quoq; amittant gratiam: aciditas enim quavis ex lebetibus & cupro & aurichalco confectis, vel pyxidibus aut thecis ex stanno paratis, mineralem quandam noxam prolicuit, ventriculo abominabilem &

aduersam, ac proinde vomitus, stomachi sub-
 uersiones, & deteriora nonnulla valetudinis
 nocumenta inducentem, praterquam quod Sy-
 ruporum iam dictorum sapor in testaceis & fi-
 gulinis vasis vitreâ crustâ obductis longe gra-
 tior euadit, ac diutius perseverat. Quod etiam
 de aquis stillatitiis notandum, quæ in vitreis
 magis organis quàm stanneis aut plumbeis, vel
 ereis extillari, ac vitreis vasculis conclusa loco
 temperato aptè foueri debent. Cortices autem,
 Gummi, Animalia eorundemq; partes, Tro-
 chisci, & Collyria arida, in pyxidibus ligneis
 commodè reponuntur. Loco verò sicco & mo-
 deratè calido Tabula Orbiculi, Confectiones
 solida, & ea quæ Saccharo obducta sunt, custo-
 diuntur. Linimenta & Vnguenta partim figu-
 linis, partim stanneis pyxidibus conclusa tenen-
 tur. Species Aromatica coriaceis sacculis probe
 consutis, vel in vitreis aut eburneis vasculis
 rectè in usum haud euanida seruantur. Con-
 dita, Conserua, Electuaria, Opiata, Linctus &
 Lohoch figulina magis, quàm stannea vasa ex-
 petunt, licet & in iis non incommodè seruari
 queant. Olea deniq; quævis, cocturâ, expressio-
 ne,

ne, in solatione, vel infusione parata, in vitreis similiter aut stanneis thecis reponi postulant, prout ea quæ destillata sunt in vitris angustiorificij, quæ arcu obligari & ab effluvio ac expiratione promptè custodiri queunt, in annos asseruantur. Pilula porrò vix aliter, quàm Cerata & Emplastra vesicæ aut chartæ, quæ liquatam ceram imbibent, obuoluntur, atq; sic arcus vel pyxidibus siccis conclusæ tenentur.



CAPVT QVINTVM.

De Medicamentorum quorumlibet duratione.

CVM sua sit cuiq; medicamento atas, vñq; alio citius, & adolescat & exolescat, idè certum ac definitum durationis medicamentorum tempus statui non potest, sed sunt ea pro cuiusq; temperaturâ ac conditione moderanda: nonnulla enim quorum odor ac vis facile euanesceat, dimidio vix anno durant,

C s prout